



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1766**

**VD18 90118251**

§. 22. Græci Legati abeunt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

dabat secundo ac tertio Decembris an. <sup>Sæcul. XIII.</sup>  
1278. Brevi abhinc tempore Papa Ni- <sup>A.C. 1278.</sup>  
colaus permiserat, ut Rex Philippus sine  
anathematis subeundi periculo Clericos  
grandium noxarum ignominia notatos  
carceri mandaret, non vexandos suorum  
opera, sed Præsulibus tradendos, ne spes  
impunitatis ad graviora eos scelera il-  
liceret.

n. 37.

## §. XXII.

*Græci Legati abeunt.*

Papa Nicolaus hoc demum anno Le-  
gatos remisit Græcos, qui anno prio-  
re, cum sacra Sedes vacaret, advene-  
rant, a Michaële Palæologo jussi non so- <sup>Sup. §. 9.</sup>  
lum acceptæ reconciliationis notitiam <sup>Pachym. l. 5.</sup>  
Papæ dare, verum etiam inquirere, quam <sup>c. 26.</sup>  
agendi rationem teneret Rex Siciliæ Ca-  
rolus; an calor ejus ac ferocia deferbuis-  
set. At comperiebant eum ardere ira-  
cundia & instare Papæ, ut sibi per ipsum  
liceat Constantinopolim invadere. Vi-  
debant eundem quotidie Papæ supplicem  
sceptrum manu gestatum de more Prin-  
cipum Italiæ mordere præ furore ob  
neglectas ab illo preces suas, tametsi  
suum jus & apparatus iter exponeret.  
Papa e contrario memorabat, Græcos  
tantum recepisse urbem olim sibi subdi-  
tam; eandem jure belli possidere; deni-  
que

Sæcul. XIII.  
A.C. 1278.

que Christianos esse ac Ecclesiæ filios; ideoque se, nisi Numinis iram provocare velit, permittere haud posse, ut alii Christiani eis arma inferant.

## §. XXIII.

*Monita Legatis Latinis in Græciam missis data.*

Post Græcorum Legatorum abitum Papa Constantinopolim novos quatuor Nuncios misit, omnes ex Ordine Minorum, nempe Bartholomæum Episcopum Rosetanum in Hetruria, Bartholomæum Senensem Ordinis Ministrum per Syriam, Philippum Perusinum, & Angelum Urbevetanum, Lectores, seu Professores theologiæ. Ex quatuor epistolis, quas eis tradidit, duas priores Imperatori Michaëli Palæologo inscripserat. In una longam Legatorum ejus commorationem excusat per vacationem sedis apostolicæ, ac per sui regiminis novitatem. In altera de commodis ejusdem temporalibus loquens queritur, quod neglecto Papæ Joannis XXI suafu Legatos suos non jufferit cum Philippo Imperatoris Constantinopolitani nomen gerente atque cum Carolo Siciliae Rege consilia pacis agitare; hortaturque, ut intra quinque menses viros mittat, huic negotio conficiendo idoneos. Tertiam destinavit Andronico

Rayn. 1276.  
n. 2. 15.  
Vading.  
1278. n. 2. 4.

Rayn. n. 5.  
Vad. n. 5.